

quam ipsa morte; singulis enim momentis ita anguntur, ut millies mori videantur. Tertio, quia rationem obnubilat, indeque facile in verba et signa externa prorumpit, ac defendit sæpe et laudat, quæ sunt noxia et turpia; quo modo ebrius placet incompositi sui gestus et suilli mores de quibus tamen postea sobrius erubescit.

Porro recte monet Christus ut non turbetur cor; hoc est, ne timor et perturbatio sit deliberata et voluntaria, adeoque admittatur in cor. Nam indeliberatæ perturbationes declinari nequeunt, nec sunt peccata. Solemus nos Germani focum extra hypocaustum habere, ne fumo molestemur. Eum in modum perturbatio si qua advenit, contineatur extra cor, ne rationem turbet. Agesilaus rex Spartæ, teste Plut. in Lacon. cum podagræ doloribus arderet, eumque invisisset Carneades, tristis ab eo recedens: *Mane*, inquit, *Carneades, nihil enim illinc huc venit*, ostensis pedibus et pectore; sentiens pedes quidem dolere, animum vero non dolere. Hunc in modum, siquidem naturalis timor et perturbatio nos invadit, demus operam, ut si a mente et cogitatione excludi nequeat, in cor saltem non ascendat. Admittitur vero in cor perturbatio, cum ratio ei succumbit voluntarie, nec resistit pro viribus. Esse autem in voluntate nostra victoriam perturbationum, adjuvante gratia, eo ipso ostendit Dominus, quo præcepit in hodierno evangelio: *Non turbetur cor vestrum*.

VI. Audimus mortem piorum amicorum gaudium potius quam mœrore prosequendam: ait enim Dominus: *Si diligeritis, me gauderitis utique, quia vado ad Patrem*, id est, ad mortem, docens et ostendens, cum chari quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum, inquit D. Cyprianus, in lib. de mortalit. Idque confirmat ex apostolo ad Philipp. 1. dicente: *Mihi mori lucrum*, subjungitque: « Lucrum maximum computans jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris argentibus et venenatis diaboli faucibus, liberatum ad lætitiæ salutis æternæ Christo vocante proficisci. Hæc causa est cur sanctorum fatales dies cum gaudio celebremus, nec dies fatales *natales* appellemus, quia in iis cælo nati sunt. Epaminondas Thebamarum dux in prælio vulneratus: « Primum an clypeus salvus esset, deinde an fusi hostes penitus forent, interrogavit, quæ postquam ex animi sententia comperit: Non finis, inquit, commilitones meæ vitæ, sed melius et altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. » Ita Val. M. lib. III. cap. II. Quanto verius ita loqui servi Dei morientes possunt, quia non in ore hominum, sed in cælo perpetuo victuri hinc disce-

dunt? Id tamen prius investigare et quidem sedulo debent, an eorum conscientia salva sit, et an vitia expugnata. Idem auctor l. V. cap. X. refert Xenophontem sacrificantem, intellecta filii majoris natu Grylli nomine, cæde, coronam capiti detraxisse; ast ubi audivit fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuisse; quasi majorem ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentiret. Quod si ista ethnici, quanto æquius Christiani.

VII. Audimus diabolum potissimum morientibus insidiari. Etenim Dominus finita cœna et sermone ad mortem perrecturus ait: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam*. Vult dicere: Diabolus jam parat mihi funes, flagella, spinas, opprobria, crucem, per satellites suos Judæos et carnifices, ut meam patientiam et virtutem tentet, imo ipsemet sedulus aderit et incitabit in me canes illos, capere me volens. Quod si Christo morienti adeo insidiatus fuit, haud dubie etiam morientes alios sedulo observabit. Scimus eum S. Martino morienti adstitisse, et his ab eo verbis compellatum esse: *Quid hic adstas, cruenta bestia, nihil in me funesti reperies*. Vidit eundem S. Antonius statura ingenti ad nubes usque protensa, brachiis extensis animas ad cœlum evolantes, quas poterat comprehendere ad terram dejicientem, ut refert Athan. in vita S. Antonii. Unde didicit Antonius dæmonem omni conatu impedire morientium salutem. Demus igitur operam, ut nihil in nobis, eo præsertim tempore, inveniat de suo. Exsolvamus hic dum possumus omnia debita nostra tam quæ proximis, quam quæ Deo debemus, et componamus rationes nostras, ne deprehensus ibi ex alto deiciat, sive in purgatorium, sive in gehennam. Refert celeberrimus concionator p. Georgius Scherer super hanc dom. terribilem visionem nobili cuidam Austriaco ante non multos annos ostensam morienti, tetros scilicet aurigas lectum ejus circumstantes et animam expectantes, quibus ipse jusserit dari prius jentaculum, asserens adesse tempus conscendendi currum et abeundi. De hæresiarcha illo Andrea Carlostadio scribit Florimundus Raymundus, l. II. de orig. hæc. c. VII. his verbis: « Basileam evocatus, concionatoris munere aliquandiu ibi functus est: quumque die quodam concionem haberet, vidit magnæ stature hominem templum intrantem, et ad latus consulis cœsidentem. Finita concione Carlostadius quærit ex consule quisnam vir ille esset insolitæ stature, qui juxta ipsum consedisset. Consule vero respondente neminem a se visum, totus consternatus una cum consule domum contendit. Advenienti domestici narrant, magnæ stature hominem ædes ingressum, filium ipsius medium arripuisse, et

in altum elevatum, sine ulla læsione in terram decidere permisisse, additis his verbis: Patri suo multam salutem dicere, quem intra triduum esset visurus. Accedente ad reliquas animi et corporis miserias hac quoque consternatione, Carlostadius post triduum extremum vitæ diem clausit. Hunc quidem dæmonem fuisse, a quo, ut Brutus olim a malo suo genio, tamquam *va-dimonio* ad mortem evocatus fuerit, dubium non est. » Sic ille.

Deus nos custodiat ab hujusmodi hospitibus et aurigis; sed et ipsi quoque custodiamus nos: si enim in vita nihil cum principe illo habuerimus commune, nihil ille nobiscum habebit in morte: « Unde curandum nobis est (verba sunt S. Gregorii, hom. XXXIX. in evangelia) et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus, princeps hujus mundi veniat si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quæsit, in quo suum invenire nihil potuit. Quid itaque nos inseri dicturi, quid acturi sumus, qui innnumera mala commisimus? Quid requirent adversario, et multa sua in nobis inventient dicemus, nisi solum, quod nobis est certum refugium et solida spes, quia unum cum illo facti sumus, in quo princeps hujus mundi et suum aliquid requisivit, et invenire minime potuit, quoniam solus est inter mortuos liber. » Itaque auditores, Christo adhæreamus, Christo nos uniamus; sic malignus ille nihil in nobis de suo reperiet in morte.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

- I. Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentem Deum?—II. Spiritus s. cur Paraclitus dicitur? Cur Spiritus? Cur sanctus?—III. Quomodo Spiritus s. missus in Christi nomine?—IV. Quid illa pax quam dat Christus, eam dat non ut mundus?—V. Apostoli an Christum non dilexerint?—VI. Quomodo Pater major est Filio?—VII. An apostoli non crediderint nisi post eventum prædictionis?—VIII. Cur diabolus vocatur princeps hujus mundi?—IX. Quomodo nihil habuit in Christo?—X. Quot et quibus formis apparuit Spiritus sanctus? 1. In specie columbæ. 2. In specie nubis. 3. In flatu. 4. In specie ignis et venti.

## THEMA.

*Paraclitus autem Spiritus sanctus suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis.* Joan. XIV.

Non frustra aut inconsulto fit, auditores, ut in suggestis concionatorum pingatur Spiritus sanctus capiti concionantis imminens. Id enim absque dubio veteres Christiani ex hodierno evangelio hauserunt, in quo Spiritus sanctus

dicitur apostolis suggesturus omnia, quæ ipsis prædicanda erant: *Ille vos docebit omnia*, inquit Dominus, *et suggeret vobis omnia, quæcumque dixerit vobis*. Non apparet autem ratio, cur dicamus solis apostolis et non aliis quoque verbi divini præconibus, hunc doctorem et suggestorem promissum esse; siquidem non minus indigent alii concionatores opera Spiritus sancti quam olim indiguerint apostoli. Scimus certe ex rebus gestis D. Gregorii Magni Petrum diaconum testatum esse, se Spiritum sanctum columbæ specie supra ipsius caput, dum dictaret libros, sæpius vidisse. Itaque Spiritus sanctus doctor et inspirator est omnium concionatorum qui legitime ad hoc munus vocantur: ipsi instrumenta et quasi linguæ ejus sunt: ille ventus, isti vela: ille fluvius, isti rotæ molendini: ille follis, isti fistulæ organi sunt. Atque hic doctor est, qui hodierno die in hunc ipsum finem de cælo in terram missus est, quo aspirante et suggerente perspicua faciemus, quæ non nihil obscura sunt in hodierno evangelio.

I. Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentem Deum? Resp. non venire per motum localem (Deus enim per essentiam, præsentiam, et potentiam ubique est, adeoque in quovis etiam homine) sed per novam operationem supernaturalem, dum vere et realiter adest et inest homini velut amicus; dum sua gratia eum exornat, suo lumine illustrat, fovet, tuetur, perficit; dum in eo sibi complacet; dum in eo colitur veluti in templo residet veluti in regia aut throno suo princeps, etc. Quemadmodum enim sol dicitur ad nos ascendere et venire, cum antipodas deserens supra terram emergit suoque lumine nostrum hemisphærium illustrat, suo calore fovet, suo vigore omnia progignit, tametsi tunc nihilo nobis sit vicinior (terra enim respectu cœli non nisi instar unius puncti est) ita Deus qui prius quidem intime adest omni homini, cum per gratiam in eo habitare incipit, mutat in eo noctem in diem, vivificat hominem prius mortuum, fovet, illustrat, recreat, fœcundat, etc. uti sol terram quam contuetur. Ad hæc quemadmodum corpus cum informatum ab anima, vivere incipit et vitales actiones edere; quod alioquin non nisi cadaver foret, si anima in eo per modum inquilini solum habitaret: ita homo in quo per gratiam habitat Deus, vivit spiritualiter; is vero in quo per omnipræsentiam tantum suam est, vita caret et cadaver est.

II. Spiritus sanctus cur Paraclitus vocatur? Resp. paraclitum significare consolatorem, exhortatorem, advocatum. Est ergo consolator in adversis et tribulationibus, maxime in peccatis. *Consolator* inquit S. Greg. hom. XXX. de hodierno festo, *idem Spiritus vocatur, quia de peccati per-*

vetratione merentibus dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat: exhortator in aggrediendis et perficiendis rebus difficilibus: advocatus, quia *postulat pro nobis* (hoc est postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. VIII.

Spiritus appellatur primo, quia per modum spirationis, qua homo producit flatum seu anhelitum, procedit a Patre et Filio. Sicut enim cor per os producit flatum, ita Pater per Filium producit Spiritum sanctum. Vel potius sicut anima ex intellectione rei amabilis spirat et producit amorem ejusdem: ita Pater per Verbum Spiritum sanctum. Secundo, quia similis est spiritui nostro seu animæ. Sicut enim hæc corpus vivificat eique vires influit, ac vitales actiones gignit; ita Spiritus sanctus animam gratia vivificat, et potentias ejus ad bene operandum excitat ac facillitat, omniaque ejus opera meritoria vitæ æternæ facit. Tertio, quia spiritui seu vento non absimilis est. Ventus purgataerem, affert pluvias, incendit ignem, propellit naves, agitat molas, refrigerat homines, tibias resonare facit; Spiritus sanctus purgat animam a peccatis, rigat et impinguat lacrymis compunctionis et devotionis, amorem Dei inflamat, ad cælum euntes promovet, ad bene operandum incitat, consolatur, ad orandum movet, etc.

Sanctus denique appellatur, quia sanctissimus et purissimus omnisque sanctitatis fons. Secundo, quia animam sanctificat, et quodammodo encæniat, ut sit templum Deo consecratum. Tertio, ad differentiam spiritus maligni, qui malorum omnium incentor est.

III. Quomodo Spiritus sanctus missus est in Christi nomine? Resp. primo, quia missus est vice Christi, ita ut loco Christi præsit deinceps Ecclesiæ: quo modo legatus regis dicitur adesse civitati regis nomine, id est, vice et auctoritate regis. Ita exponit Euthymius. Secundo, quia missus est per nomen et merita Christi, qui missionem Spiritus sancti sua morte nobis promeruit. Hoc sensu jussit Dominus petere nos in nomine suo.

Tertio, quia: *Missus est per Christum*, inquit D. Cyrillus. Est enim Spiritus Filii ad Gal. IV. quia a Patre et Filio uti procedit, ita et ab utroque mittitur.

Quarto, quia ad nomen et gloriam Filii amplificanda missus est. Ita Theophyl. De eo enim dixit Dominus: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Hoc sensu dicitur Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, Græce, ad nomen Patris, etc.

IV. Quid significat illa pax, quam relinquit et dat suis Christus? Resp. primo, ex more salu-

tandi Hebræorum significat omnem prosperitatem, uti II. Reg. XVIII. *Estne pax puero Absalom?* Secundo, pacem et concordiam mutuam, quæ profecto perquam necessaria erat apostolis, ne inter eos orirentur dissensiones et schismata ad subversionem aliorum. Ita exponit Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Tertio, pacem internam animi seu conscientiae bonæ, quæ item præclarissimum bonum est, et juge quasi convivium. Ita August.

Porro pacem istam dat, non quomodo mundus dat. Primo, quia mundus eam solum aptare vel precari alteri potest, Christus dare potest; ideo ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Mundus dat pacem quam non habet, Christus dat pacem quam habet. Secundo, quia mundus seu mundi sectatores precantur sibi et aliis non nisi pacem transitoriam, carni et commoditatibus temporalibus servientem, doloribus et laboribus earentem; Christus autem dat pacem hominibus, ut ea in Dei honorem et gloriam utantur. Tertio, quia mundus non precatur, nec curat pacem animi internam cum Deo et conscientia propria: de qua loquitur apostolus Philip. IV. *Pax quæ exuperat omnem sensum*, (id est omnem intellectum) *custodiat corda vestra*. Pax mundi fuit illa Herodis et Pilati in perniciem Christi facta: pax mundi est illorum superiorum, qui, ut quieti vivant, patiuntur violari jura humana et divina, lupos ingredi in ovilia sua et diripere oves: pax mundi est illorum pastorum, qui ut humani, familiares et pacifici vocentur, non exerunt dentes in scelera impiorum; canes muti non valentes, vel potius non volentes latrare: pax mundi est illorum qui in unum conspirant ad opprimendum innocentem, qualis erat fratrum Josephi, qui sedentes epulabantur, ipso in cisternam detruso, militum ludentium relicto in cruce Christo.

V. Numquid apostoli Christum non dilexerunt, siquidem Dominus ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique?* Resp. primo, dilexerunt quidem Christum, sed imperfecto quodam amore carnali ejus præsentiae inhærente; propter quod aiebat Dominus: *Expedi vobis ut ego vadum*. Ita D. Bern. serm. XX. in Cant. *Diligebant, inquit, apostoli, et non diligebant dulciter, sed minus prudenter; diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Dilectio eorum contra salutem eorum*. Quare amor concupiscentiæ videtur in iis prævaluisse amoris amicitiae ante Christi passionem, quia optabant eum a se nunquam recedere ad suum potius bonum, quam ad Christi gloriam attendentes. Verum hunc defectum postea emendarunt.

Secundo, intelligi potest Dominus de amore actuali, qua amari debebat a discipulis suis eo ipso tempore, quo audiebant dominum et ma-

gistrum suum ire ad Patrem et cœlestem gloriam suam. Ad hoc autem ipsi tunc non attenderunt, utpote mœrore occupati ex prædicatione traditionis, passionis et mortis Christi, scandali item sui quod in Christo passuri essent, negationis Petri, etc. Diligebant ergo tunc Christum, non ideo tamen, quia ad Patrem ibat, sed vel ob alios titulos, vel solo tunc habitu, utpote perplexi et mœrore occupati.

VI. Qua ratione Pater major est Filio? Facilis est responsio, ut mirum sit Arianos in hoc textu impigisse. Major enim est Pater Filio, quoad humanam Filii naturam, secundum quam is ad Patrem ivit; nam secundum naturam, divinam ad Patrem ire non poterat. Clarum ergo est loqui Christum hic de humana sua natura: *Ad Patrem vado, quia Pater major me est*. Audiamus Augustinum, tract. LXXVIII. « Per quod, inquit, Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem: per illud autem, in quo æqualis est gignentis unigenitus, nunquam recedit a Patre. » Theophylactus: « Dicant, inquit, hæretici, secundum quid venit ad Patrem Christus, secundum quod Deus, an secundum quod homo? Quia secundum quod Deus semper in cœlis erat, et inseparatus a Patre: secundum humanam igitur naturam major eo dicitur esse Pater. » Breviter S. Athanasius: « *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* »

Sunt etiam magni patres, Basilius, Athanasius, Gregorius, Nazianzenus, Cyrillus, Hilarius, Chrysostomus, Damascenus, qui Patrem Filio majorem, secundum divinitatem etiam dici posse asserunt, quia est *principium sine principio*, seu prima in deitate Persona de qua procedunt reliquæ duæ. *Major est*, inquit Athanas. orat. II. contra Arianos, *non magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat*: D. Hilarius, in Ps. CXXXVIII. *Major est ut Pater Filio, generatione, non genere*. Sed locutio hæc impropria est, nec ad mentem Christi, qui de humanitate sua hic loquitur.

VII. Quomodo apostoli post eventum prædicationum primum crediderunt; siquidem ait Dominus: *Ut cum factum fuerit credatis?* Resp. intelligenda Christi verba non de fide absolute, sed de fidei augmento. Ex illis enim eventibus sibi prædictis mirum in modum roborati sunt in fide, non illarum rerum, quæ evenire jam cernebant, sed aliarum quæ videri non poterant, ut Christum esse verum Messiam, Dei Filium, etc. item earum, quæ nondum accidisse viderunt. Ex priorum enim eventuum certificati sunt de eventu posteriorum.

VIII. Cur diabolus appellatur princeps hujus mundi? Resp. principem vocari primo, quia

Lucifer dæmonum supremus ex supremo ordine angelorum fuit. Post hunc etiam alii vocantur ab apostolo, ad Eph. VI. principes et potestates, quia ex ordine qui principatus, et ex illo qui potestates appellatur, ceciderunt, ut eo loco censet Cornelius a Lap. Non enim per lapsum illum perdidit naturales suas vires et præminentias: sed qui natura præstantiores creati sunt, imperant inferioribus.

Secundo, quia durante idololatria mediante idolis mundo dominabantur, et ab eodem, velut dii colebantur, juxta id Ps. XCV. *Omnes dii gentium dæmonia*.

Tertio, quia dominantur adhuc impiis in mortali peccati statu constitutis. Ita enim apostolus, II. ad Tim. II. ait: *Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*. Tum quia se ab ejus laqueis et servitute nulla sua vi aut virtute, sed sola Dei gratia explicare possunt; tum quia ab eo facile in eadem et alia gravia scelera impelli possunt, destituti speciali Dei auxilio et gratia, ita ut resistere quidem ei, sed tamen difficulter queant. Horum itaque nomine intelligitur hic mundus, quomodo apostolus dixit: *Principes tenebrarum harum*.

Quarto, quia per lapsum Adami factus est princeps seu tyrannus potius omnium hominum, quamdiu in peccato originali degunt.

Princeps vero hujus mundi dicitur primo, quia infra cælum in aere saltem in suis satellitibus moratur et vagatur ad nocendum hominibus, bestiis, frugibus, etc. Secundo, quia non nisi in hoc mundo tyrannidem suam habet, in altero non habebit, sed carnificis tantum instar in damnatos sæviet.

IX. Quomodo princeps iste nihil in Christo habuit? Resp. primo, quia nihil in eo habuit, quod suum aut sui juris esset. Solum enim peccatum diaboli est eique jus in hominem tribuit, quo modo furtum aut homicidium, v. g. tribuit jus lictori ut possit reum vincire, magistratui ut plectere. Nullum autem in Christo peccatum fuisse, imo nec esse potuisse alibi ostendimus.

Secundo, quia nihil habuit, quod in eo tolleretur. Sequitur hoc ex priori responso. Ubi enim peccatum invenit mortiferum, ibi animam tollere potest in morte hominis; ubi non invenit, nequaquam potest: Christus ergo, tametsi patiebatur quasi aliquis extreme sceleratus, culpa tamen omni vacabat, atque idecirco monuit hac voce discipulos ut in ipso non scandalizarentur, si viderent eum condemnari et crucifigi; siquidem de facto quidem, non tamen de jure passurus esset a diabolo et ministris ejus crucem ac mortem. Hoc est, quod subdit Dominus: *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, occurrens tacite objectioni: Cur nimirum passurus essei,*

si culpa vacaret? Respondet enim mortis et passionis suæ causam esse mandatum et dilectionem Patris, qui per mortem Filii mundum sibi reconciliare, adeoque Filii satisfactionem pro reorum debito acceptare decrevit.

X. Quot et quibus figuris apparuit Spiritus sanctus? Resp. variis pro varietate operationum et significationum. Primo, specie columbæ apparuit in Christi baptismo, ad significandam innocentiam Christi et baptizatorum, necnon fecunditatem bonorum operum, qui baptizatis suggerit. Secundo, specie nubis in transfiguratione ad significandam protectionem suorum fidelium et pluviam doctrinæ, quam in eos effundit. Tertio, specie inspirationis in cœnaculo ad significandam vitam animæ spiritualem, quam per sacramentum pœnitentiæ ei confert. Quarto,

specie ignis in pentecoste, quia instar ignis fideles purificavit, illustravit, accendit. Rursum specie venti vehementis, ad significandam efficaciam prædicationis apostolis tunc collatæ. Quemadmodum enim ventus vehemens, præsertim ecephas, segetes, arbusta, domos et turres sternit, ac quandoque alio transfert: ita apostolorum prædicatione omnem mundi potentiam, sapientiam, eloquentiam stravit et evertit, atque e gentilismo transtulit in Ecclesiam. Quare sonus hic apostolos minime perterrituit, sed acuit et accendit ad amorem Dei, simulque ostendit quales ipsi et cæteri fideles esse debeant, nimirum vehementes in studio virtutis et salutis; quia: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, uti docet et exponit Cyrillus, catech. XVII.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### MUNDUS A SPIRITU SANCTO RENOVATUS.

Sublata barbaries et tyrannis. — II. Impius deorum cultus correctus. — III. Charitas Dei et proximi plantata. — IV. Tenebris ignorantie sublatis lux munda illata. — V. Virtutum sterilitas in fecunditatem mutata. — VI. Fœdæ invidiæ averruncatæ. — VII. Jura perversa sibi restituta.

#### THEMA.

*Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Psalm. CIII.*

Ecclesia auditores, in hodierna solemnitate frequenter nobis occinit, versiculum illum Ps. CIII. *Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ*, qui ad litteram quidem loquitur de renovatione terræ annua, quæ post exactam hiemem omnia enectantem et sepelientem, in vere et æstate quasi reviviscit, et induit aliam faciem, hilarem, decoram, fecundam; pulsa hiemis tristitia, deformitate, sterelitate, et hoc beneficio solis ad nos ascendentis, prius elongati. Jam ergo simili modo renovatum esse mundum per adventum Spiritus sancti insinuat Ecclesia, ex tristi nimirum sterili hieme mutatum esse in amœnissimam et fertilissimam æstatem. Quod quidem prævidisse etiam videtur Salomon, Cant. II. quando in persona Christi excitat apostolos ad peragrandum orbem terrarum, et disseminandum evangelium his verbis: *En dilectus meus loquitur mihi* (Christus Ecclesiæ, in monte Sion congregatæ, et orationi vacanti, præ metu adhuc inculsæ in cœnaculo), *surge*

*amica mea, formosa mea, et veni*, quasi dicat: Surge e lectulo quietis, in quo per decem dies jacebas, et egredere ad prædicandum evangelium. Ecce vero? *Jam enim hiems transit*, subdit: *Imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*, hoc est (ut ibi ex Origene, Theodoro et S. Gregorio exponit Cornelius a Lapide), rigor et timor legis Mosæ, ac frigus geluque infidelitatis gentium transit, imber errorum et vitiorum abiit, quia sol vernus, puta Spiritus sanctus illuxit qui calore suo tam hiemem quam imbrem fugavit, ac flante austro gratiæ suæ flores sanctorum, (quales fuerunt credentes) ac martyrum produxit in terra nostra. Tempus ergo putationis advenit, quo vos, o apostoli, Judæorum et gentium ignorantiam et infidelitatem omnemque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputatis, ut fructus bonorum operum proferant. Vox turturis, Joannis præcursoris ad pœnitentiam vocantis, jam audita est. Itaque Spiritus sanctus maxime hodie bonum universo mundo intulit, desideratum scilicet ver et æstatem post tam longam et austeram infidelitatis hiemem; ut merito omnium animi exhilarari, et cum aviculis hoc tempore laudes canere debeant, pro tam grata et stupenda mundi renovatione. Quod ut fiat, exactus paulo et hiemem illam et æstatem expendemus.

I. Hiems tyrannus quidam et latro naturæ est, omnia mactans et mortificans, ac sub nive et glacie sepeliens. Talis erat status mundi ante adventum Spiritus sancti tyrannicus, belluinus, sanguinarius; quia homines sævi truculenti, barbari, omnia viribus et potentia, non jure

(paucis exceptis) metientes. Itaque qui rex vel princeps, natio vel civitas, dynasta vel miles robore potentior vel audacior erat, debiliorem invadebat absque ulla justa causa, sicut, v. g. Alexander Magn. qui totius mundi latro et prædo erat, Nabuchodonosor, Antiochus, imperatores Romani, Carthaginenses, alique, et imprimis nostri Germani, qui ex solis prædis vivebant, ita ut Germania, imo et totus mundus non nisi vasta ferarum silva, aut oceanus marinis belluis plenus esset, ubi major minorem, fortior debiliorem invadebat et devorabat; uti adhuc contingit in Brasilia, qua parte necdum ad fidem conversa est. Tyranni erant plerique principes, vi ac potentia imperium occupantes; unde metu solum et terrore subditos coercebant, quorum ea sollemnis vox erat: *Oderint dum metuant*. Existimabant sibi quidvis licere in quovis, uti jactabat imperator Caligula: alii certe idem acitabant, subditos pro bestiis et jumentis habebant, emebant et vendebant in mancipia, et tractabant velut bruta, impune quoque mactabant. Matribus licitum erat fetus in utero suffocare, parentibus filios non solum vendere, sed etiam quos alere non poterant, occidere: multi, ut olim ita adhuc in Brasilia, filios ex ancillis procreabant, eo fine tantum, ut natos saginarent, et saginatos devorarent: alii eos passim diis suis immolabant: ad funera dominorum servos mactabant: spectacula gladiatorum, qui se absque ulla causa ad solam hominum delectationem mutuis vulneribus conficerent, proponebant, et hoc laudi datum imperatoribus, si multa talia ederent, uti Trajano qui decem millia gladiatorum uno munere populo exhibuit. Nota est Turcarum imp. tyrannis in fratres et cognatos proprios, imo et filios. Quamobrem illius temporis homines Isaias, cap. XI. appellant leones, ursos, pardos et lupos: et cap. XXXV. dracones et malas bestias.

At vero ubi Spiritus s. Christi evangelium dispersit et prædicavit per igneas apostolorum linguas: ibi hiems transit, et tyrannis hæc cessavit, vitæque hominibus securitate et humanitate plena restituta est, bestiæque illæ in homines mutatae sunt; uti prædixit Isaias, cap. XI. *Habitabit lupus cum agno, inquit, et pardus cum hædo accubabit et vitulus, et leo, et ovis simul morantur, puer parvulus minabit eos*, hoc est, quivis pauper apostolus vel prædicator abjectus: et cap. XXXV. *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci; et mox: Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam nec inveniatur ibi*. Id quod factum esse per evangelium et historiæ testantur, et hodie quoque experimur. Principes regunt cum amore, discretionem, ratione, justitia, clementia.

Sublata mancipiorum servitus, sublata gladiatorum spectacula, injustæ invasiones, parentum in liberos sævitia, et contraria omnia invecta: amor, benevolentia, humanitas, charitas, commiseratio, etc.

II. In hieme negliguntur agri, non coluntur vineæ; vel si aliqua cura adhibetur, fimus tantum et stercora in ea efferuntur. Idem fiebat in mundo ante missionem Spiritus sancti. Nemo Deum colebat, nemo curabat, paucissimi verum Deum cognoverant, uti Judæi. De quorum tamen inani religione et vitioso Dei cultu sæpe Deus conquestus est, uti Malach. II. *Dispergam super vultum vestrum sterces solemnitate vestrarum*; quo modo scilicet fimus super agrum dispergi solet. Reliqui plane impii et blasphemii, cultum quem Deo debebant, lapidibus et dæmonibus impendebant, et fere pecorum tantum, quin et humano sanguine etiam propriorum filiorum cruentabant; erga deos suos, cum ab iis non audirentur, pessime affecti erant, plagis eos afficiebant ac contumeliis: pleni denique superstitionibus et impudiciis, quibus diis suis se placituros putabant, quos etiam subinde cum in periculis versabantur, funibus alligabant ad fana et ædes suas, ne fugerent. Stulti illi Baalis cultores rogum transiliebant, clamores in cœlum tollebant, cultellis se incidebant, III. Reg. XVIII. Denique, festa eorum impudicitia plena et pudenda erant.

At ubi Spiritus sanctus mundum igne suo pervasit, ibi cultus Dei erectus, et miro modo propagatus est. Quis enim enumerare queat religionis et pietatis exercitia Christianis usitata? Festivum habent diem semper dominicum creatori omnium, de quo gentiles ne somniant quidem; deinde sanctis illustrioribus, quales nulli apud illos. Festa gentilium profana et scelerata mutata sunt in sacrosancta. In diebus illis sacræ missæ intersunt, et plurimi quotidie. Singulis diebus ter ad orandum pulsus datur; præterea mane cum surgunt, et vespere cum decumbunt, suas preces offerunt. Qui in sacris sunt, septies in die laudem Deo separatim dicunt, vel decantant, et plerique religiosi diu noctuque persolvunt. Nemo fere est, qui precariam coronam secum non circumferat; pauci qui suas actiones a signo crucis et pia oratione non incipiant: qui domi suæ imagines sacras et altariola non habeant ad domesticam devotionem: quæ et passim publicis proponuntur locis ad eam excitandam. Omnes adstringuntur ad annuam confessionem, et sacræ mensæ communionem: paucissimi, qui eam non sæpius ultro frequentent. Quid de sacris concionibus dicam, singulis diebus festivis haberi solitis? Et quid illis non docetur ad Dei cultum